



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacris victoriis Lvdovici Germanici Regis, fratris Lotharij Imperatoris.  
Cap. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

uenit auctoritas. Scribit enim Sigebertus, Anno 1000. xxxii. Gregorius Papa in Gallias ueniens contra Imperatorem cum filiis agebat, Imperator uxorem suam Iudith quasi causam malorum abdicauit. Anno 1000. xxxiii. Imperator à suis desertus, & in potestatem filiorum redactus, episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est. Anno sequenti relaxatur, arma, imperium & uxorem recipit, ac filium Lotharium in Italiam redire coëgit. Cui anno 1000. xxxix. fide publica ad se uenienti conciliatur, ei que dignitatem imperij & regni tribuit coronam.

*De sacris uictorijs* LUDOUICI Germanici  
Regis, fratris Lotharij Imperatoris.

C A P. X V I I.

*Fuit frater  
x. Duce Bra-  
bantie.*

**A**T uero frater eius Ludouicus Rex, dictus Germanicus, multum sacris uictorijs inclaruit. Meminit enim Brabantia nostra historicus Sigebertus Gemblacensis eum anno 1000. xliii. in Saxonia validissimam libertorum conspiratione dominos suos opprimere uolentium fortiter compescuisse, auctoribus factionis capitali sententia damnatis. Anno 1000. xlv. Abroditos à se deficere molientes, bello perdomuit, occisoque eorum Rege, terram & populum sibi diuinitus subiugatum per Duces rexit. Anno sequenti quatuordecim Duces Boëmanorum cum suis  
bapti-

baptizari fecit. Anno 1000. LIX. plurima contra Sclauos prælia commisit: & capto eorum Principe, cui nomen erat Rastrix, in violatæ fidei pœnam oculos ei erui iussit.

Anno 1000. LXV. Regi Bulgarorum ad Christianam fidem conuerso cum gente sua, subsidia misit. Anno 1000. LXXI. ab exercitu Ludouici Germanici vario euentu varia contra Sclauos gesta sunt bella. Anno 1000. LXXIV. Nordmannos tributum exigentes, ab exercitu suo grauius cæfos, deuicit. Anno 1000. LXXVII. Obiit Ludouicus in Germania regnans, qui tres reliquit filios hæredes: Ludouicum iuniorem; Carolum, qui non multo post imperauit; & Carolomanum, patrem Arnulphi Imperatoris.

*Cur LOTHARIUS Rex Lotharingia in sacra militia contra Beneuentanos non profecerit.*

C A P. X V I I I.

**A**NNO octingentesimo quinquagesimo quinto Lotharius, ait Regino, conuocatis primoribus regni, imperium filiis diuisit. Ludouico itaque Italiam dedit, eumque Imperatorem appellari fecit: Lothario autem filio regnum, quod ex suo nomine vocatur, cõcessit: Carolo deinde, qui iunior natus erat, prouinciæ regnum largitus est. Itaque ualedicens suis, mundum reliquit, atque in Prumia comam deposuit, & in religionis professione diem clausit extremum.

*XI. Brabatie  
Dux Lothari  
rius Rex.*

C Hic